



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

DE || LIBERTATE || CHRISTIANA ||

Lensaeus, Johannes

Antverpiae, 1590

Capvt I. Quid sit Christiana libertas, quibusq[ue] partibus cons[is]tet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46059](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46059)

Iohannis I.

stianorum: neque ea frui alij quàm ij qui in Christum verè ac penitus credant, vilo modo possint. His itaque solis potestatem dedit, filios, ac proinde liberos fieri, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt.

CAPVT I.

Quid sit Christiana libertas, quibusq; partibus constet.

EST autem Christiana libertas (vt ab ipsa definitione totius tractationis nascatur exordium) qua quis cupiditatis dominatu liberatus, atque ab ipso quoque peccati reatu, seu vinculo damnationis exsolutus, diuinis preceptis lubens obsequitur. Est enim Christiana libertas, non ab illa naturæ necessitate qua pecudes impelluntur; non à lege, quæ & Angeli beati felicissimè constringuntur; sed propriè à malo libertas, quam quotidie oratione Dominica petimus, cum precamur: Libera nos à malo. Tamen si enim illic in ipso liberandi verbo non sonet ea libertas quæ seruili conditioni opponitur: ea tamen intelligitur in ipsa re quæ petitur: propterea quòd vlli malo subijci, seruile sit. Cum autem tria sint malorum genera quæ nos grauissimè premunt, peccatum, mors, diabolus: tribus partibus intelligitur nostram constare libertatem, quanquam & bipartita fieri hoc modo potest. Etenim cum duo generatim sint mala, vnum ex quo mali & praui sumus, alterum ex quo miseri: pars vna est nostræ libertatis, qua liberamur à peccato, eoque ipso à diabolo: altera qua è miseria educimur. vtramque D. Augustinus expressit, cum ait in Enchiridio: Quæ maior est post ruinam misericordia Dei, quando & ipsum liberum arbitrium liberandum est à seruitute, cui dominatur cum morte peccatū? verum posterior illa pars libertatis, in spe hinc obtinetur, nondum in re. Spe enim salui facti sumus.

Cap. 106.

Tunc

Tunc verò demum suis numeris erit absoluta libertas, cum & ipsa creatura, quæ hic vanitati subiecta fuerat, liberabitur, quemadmodum Apostolus ait, à seruitute corruptionis, in libertatē gloriæ filiorū Dei. Itaque gratiæ quidem libertate, qua iustitiæ seruitur, Christi que liberatoris suauē portatur iugum, hic utcūque Dei beneficio fruimur. Gloriæ verò libertas, futuri seculi est; cum mortale hoc induerit immortalitatem, & corruptibile hoc corpus, quod circumferimus, induerit incorruptionem. Vnde Isidorus, Qui nunc, inquit, filiorum Dei nomine homines fideles vocantur, tamen ex eo quòd hanc seruitutem corruptionis patiuntur, adhuc iugo seruitutis addicti sunt: accepturi plenam filiorum Dei libertatem, dum corruptibile hoc induerit incorruptionem. Tunc enim continget expectata illa redemptio corporis nostri, hoc est, perfecta consummataque gloria: neque verò simplex libertas, sed planè talis, ait Chrysostomus, vt non simus denuò ad priorem seruitutem reuersuri. Propter te enim, ait Ambrosius, suscepit Christus mortis seruitutem, vt tibi tribueret vitæ aternæ libertatem.

Rom. 8.

Lib. 1. de firmitate bono, c. 29.

Serm. 14. in Epist. ad Rom. In Psal. 118. Serm. 28.

CAPVT II.

Quæ sit Christiana libertatis ratio, ex diuinis literis ostenditur.

Cum igitur multiplici seruitute genus hominum premeretur: cupiditati turpiter obsecūdans, diabolo perniciosè subditum, morti miseranda necessitate obnoxium: neque suppeteret in humanis quidem auxiliis, vnde iugum hoc suis ab humeris reijceret: missus est liberator Christus, qui antiquæ captiuitatis vincula dissolueret, ex quo suprà demonstrauimus, libertatem nominari Christianam: quæ nihil aliud est quàm regni cupiditatis euersio, principis tenebrarum è credentium cordibus eiectio, & beatæ immortalitatis hîc quidem spes certa, post hanc verò vitam secuta possessio.